



**L**Vpoldus ex nobili familia de Bebeburck natus, à teneris annis literis operam dedit, atque Doctor Iuris ob eruditionem creatus fuit. huic doctrinae coniunxit etiam morum probitatem, & uitae innocentiam. Itaque primò Canonicus Moguntinensis, Herbipolensis, & Babenbergensis electus est. In his locis cum pie uiueret, atque studiis inhaereret, uacante sede Bambergensi, eius loci antistes omnium cōsensu constitutus est, circa annum Christi millesimum, trecentesimum, quadagesimum. Is suo officio probè functus, inter alia scripsit de Iuribus Imperij cōtra papam: praecipuè autem hasce sentētias defendit: Cæsarem statim post

suam electionem habere integram potestatem administrandi Imperij. Nihil ei accedere ex coronatione papæ: non esse feudatarium papæ, nec iurare ut Vassallum. Denique & donationem Constantini adductis contrarijs opinionibus oppugnauit, simul & uarias aduersariorum obiectiones eruditè soluit. Itaque factum ut inter Germaniæ proceres, ob uariam rerum prudentiam, in magna existimatione fuerit, Illyr, in cath. test.

uerit,